



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Erasmi Roterodami Bvcolicon, Lectu digniss. cum
scholijs Alardi Aemstelredami, cuius studio nunc primum
& repertum & aedium est**

Erasmus, Desiderius

Coloniæ, 1539

VD16 ZV 25822

Aeglogae Seqventis argumentum per Alardum Aemstelredamum.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29843

IOANNES BERVS 3
Aemstelredamus.

HOs mirè lepidos & elegantes
Pubes ingeniosa uolue uersus,
Ter magnus tibi quos Erasmus ille
Ipso in flore statim uirentis æui,
Præceptore sub Hegio subactum
Prodens ingenium, suaue lusit.
At ne quid remorère lectitando,
Non magnis Scholijs quidem, sed aptis,
Ex æquo pius atq; literatus
Extricat remoras Alardus omneis.

AE G L O G A E S E Q U E N
tis argumentum per Alardum Aem
stelredamum.

Non sic scorpis improbus timendus,
Ut lasciuia, falax, & impudica
Vitanda est Galatæa, blanda Siren,
Dulci melle litum uenenum amarum,
Citra ligna focosue fax adurens,
Clangoremq; tubæ cruenta strages,
Præfens exitium, caput malorum:
Nimirum mulier parum modesta,
Inconstans, uaga, fraudulenta, nequam,
Passim sollicitans modo hunc, modo illum,
Quem contamine, affricetq; morbum,
Incautum illaqueet, trahatue captum:
Vocis mellifluæ suauitate
Demulcens rudiuiculos ephæbos,
Thermas, templa, forum frequentitantes:
Cuiuis insidias ubiq; tendens
Insultansq; ferociensq; uictrix:

A 3 Blando

Æ G L O G Æ A R G.

Blando uipereum uomens ab ore
 Virus, quod stabulis lupus, quod imbres
 Lætis frugibus, & satis adultis,
 Quod uenti arboribus, quod auster aruis,
 Hoc est fœmina lubricæ iuuentæ,
 Quod saluo nequeat pudore dici.
 Flagrans insatiabili furore,
 Et uæcors animi impotente morbo,
 Semper prurit & æstuat calore,
 Nunc lenocinijs rudes inescans,
 Nunc dans suauia dulciora melle
 Hyblæo, & Siculæ liquore cannæ:
 Nunc & lacteolis trahens papillis,
 Exertis modo uellicans lacertis,
 Non raro Magicis sacris adurens,
 Bt lætalia philtrea clam propinans,
 Occurrens meretricio decore,
 Tota purpureo nitens colore,
 Applaudensq; habitu uenustiori.
 Stillant labra quidem fauum atq; nectar.
 Ceruix lactea, molliusq; collum
 Est pluma, Syrium fragrans oliuum,
 Assatimq; scatens fragrantiarum:
 At postrema nimis quàm amara semper
 Sunt, ceu absynthium, acutaq; instar ensis:
 Qui cor mille trucidat enecatq;
 Vrgentum stimulis molestiarum.
 Ne fallare, sagaciter caueto.
 Disce unde immineat tibi periculum.
 Proin, si quid sapias, domi manebis,
 Aspectus fugies libidinosos.
 Ac nihil melius fuga putabis.
 Fraternè moneo fideliterq;
 Ne me forte putes fuisse falsum.

Hac

PER ALARD. AEMS. 7

Hac te Pamphilus Aegloga docebit.

ALIVD,

Vis tyrocinio cauere Tyro,
Quæ mox inficiunt rudem iuuentam,
Ætatem uiridemq; lubricamq;
Corrumpunt, uitiant, trahunt & afflant?
Aspectus fugito libidinosos.
Persuadeto tibi, quòd inde manat
Cunctorum pelagus molestiarum.
Hac quod Pamphilus Aegloga docebit,
Qua nil tersius elegantiusue.

ALIVD.

Vt bellè ualeas, alacriterq;
Degas, tutus ab omnibus periclis:
Aspectus fugito libidinosos.
Ex his colluuiæ scatet malorum,
Fel, absynthia, pœnitudo, amaror,
Sardois & amariora succis,
Morbus, pernities, lues, barathrum.
Persuasit pietas, ut hoc monerem,
Ne frustra monuisse suspicere,
Audi Pamphilon hoc idem docentem.